

avium. Hinc apposite Psal. I. *glumæ* appellantur in Hebr. ubi Latine habemus: *Non sic impii, non sic, sed tamquam pulvis, etc.* Hebr. *gluma, quæ cum tegit granum*, inquit cardinal. Cajetanus in eum locum, *utilis est. Assimilantur in hac vita impii glumæ utili non quidem sibi, sed aliis; quia reprobi in hac vita sunt non propter se, sed propter electos.* Cæterum sunt quidem in eadem spina simul granum et gluma, eodemque humore aluntur, at cum venerit ille, cujus ventilabrum in manu ejus, granum quidem in Christi horreum inferetur, gluma vero avolabit in ignem, sicut etiam: *Seges*, inquit S. August. in Ps. XXXII. *Ecclesia, etsi cum zizaniis interim communem bibens pluviam, sed tamen horreum non habitura commune. Tolera zizania, si triticum es.*

IV. Quia demonstrant Dei bonitatem simul et justitiam. Bonitatem, dum impios tamdiu expectat ad penitentiam, quamdiu spes aliqua emendationis eorum superest; justitiam vero, dum punit jam plane incurabiles. Expressit hoc Salvator noster in parabola illa ficus, quæ triennio sterilis jussa est excindi e vinea, precibus tamen vinicolæ dilata est ad annum, si forsan exculpta fructum afferret, sin minus, postea excinderetur velut incurabilis, Luc. XIII. In hunc ergo modum Deus utitur sua misericordia erga steriles peccatores, prorogans eis vitam: at si spem fructuum nullum præbeant, tandem utitur justitia, et securi sua excindit eos. Vidit hoc gentilis ille, doctissimus tamen Plutarchus, qui libro de sera numinis vindicta scribit: « Deum credibile est, quancumque vitio captam animam justo judicio aggreditur, ejus motus perspicere, sic ubi ad penitentiam inflectuntur, tempusque correctionis largiri iis, quorum non extrema est et incurabilis nequitia. » Subjungitque elegantem similitudinem: « Legem Ægyptiam videntur recte quidam Græcorum descripsisse, quæ jubet gravidam, si mortis fuerit damnata, asservari donec pariat. Quod si prægnans aliquis non sit, sed progressu temporis actionem aut consilium arcanum in lucem possit producere, aut occulti alicujus mali indicium deferre, vel salutaris fieri auctor consilii, aut necessarii usus inventor, nonne rectius facit, qui dilato supplicio eam utilitatem speritur, quam qui mature eum interficiat? » Censendum profecto videtur idem de supremo numine, expectante salutaris penitentiae partum a peccatoribus, dum, ut dixi, spes aliqua ejus affulget, quæ cum non apparet, et frustra mora trahitur, ibi justitiam Deus exerit, et pro merito eos plectit; ut agnoscat in eis justus, qui clemens et misericors agnosci non potuit. In hanc fere sen-

tentiam respondit Sanctus Achatius, centurio christianus, Bibiano præsidi gentili, ab eo interrogatus, cur Christus non puniret imperatores, sibi et suis infestos: *Facile enim, aiebat, imperatores punire potest, si est Deus vere potens.* Cui Achatius: « Ex hoc ipso eum ac ejus bonitatem ac potentiam cognoscere potes, quod injuriæ illi fiant, non statim pœnas vobis refert, sed diutius expectat, ut vos Græcos pœniteat, qui cultum et venerationem Deo congruentem, dæmonibus offertis. Ad hæc et servorum, qui ei grati sunt, electionem ac progressum hoc modo complere vult. Itaque hac providentia utitur. Nam si statim vobis pœnam inferre vellet, et vos ipsi in perpetuum periissetis, et ipsius servi manifesti non fierent, quin etiam gratiæ ipsius potentia otiosa permansisset. Quomodo enim Dominus noster gloriose laudari posset, nisi diuturna in vestris sceleribus puniendis uteretur patientia? Nunc vero hæc ita fieri permittit, ut et vos, qui non respiscitis, sed diuturnam ipsius patientiam respuentes, in vestra sævitia persistitis, et ab eo magis magisque desciscentes, ad interitum properatis, vestra culpa condemnemini: et nos, qui ejus imperium agnovimus, perpetuo cum illo vivamus. Quinetiam ipsius gloria in illis hominibus manifestior fiet qui scelera sua recognoscentes, vitam emendaverint. » Hæc ille adeo sapienter, ut præses ipse miraretur, unde hoc tam sapiens responsum deprompserit, nec haberet quod martyri responderit, in actis ejus apud Metaphr. Sur. 8. maii. Atque hoc est quod apostolus ad Romanos II. ait: *Ignoras quoniam benignitas Dei ad penitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et impœnitens cor thesaurizas tibi iram, etc.* Olla rimosa non mox in aquas mergitur, sed sensim impletur, et cum plena fuerit, repente subsidit. Idem peccatoribus accidit: expectat Deus mensuram peccandi, quam præfixit; ac tum demergit eos, cum eam impleverint, juxta id Salvatoris, Matth. XXIII. *Implete mensuram patrum vestrorum.*

V. Quia bonis quibusdam suis operibus, tametsi extra gratiæ statum factis, adeoque cælo indignis, sustinent ad tempus saltem Dei manum, ne continuo exterminentur, donec aliquam in terris saltem mercedem eorum receperint. Hac, ut reor, de causa Cain parricida non mox, uti alioquin homicidæ solent, a Deo occisus, sed diu vivere, quin et nuptias celebrare et filios procreare, et civitatem Henoch struere, et in ea habitare permixtus est; quia ipse Deo obtulit munera et sacrificia sua, tametsi non optima, nec forsitan recta intentione; ut taceam, quod ejus posterii multi futuri erant boni et electi.

Verum ea Caini felicitas et posteritas non fuit diuturna; in septima enim generatione tota ejus progenies desiit et in diluvio demersa est. Abigail peccata est David, ut anima in micorum ejus rotaretur impetu quasi in circulo fundæ, I. Reg. XXV. Contingit hoc inimicis Dei, quando non statim ut peccarunt, ejiuntur ex hac vita in abyssum, sed gyrantur prius aliquamdiu velut lapis in funda; tamen non diu, et tunc maximo emittuntur impetu. De hoc gyro impiorum, Psal. XI. dicitur: *In circuitu impii ambulat.* Quomodo in circuitu? Quomodo illi, qui possessionem occupant, circumire apud M. Tullium, lib. VIII. famil. epist. XI. et pedem ponere in alieno fundo dicuntur. Occupant enim reprobi sæpe præter fas et æquum possessiones justorum. Quomodo in circuitu? Quomodo Satan dixit: *Circuivi terram et perambulavi eam*, Job I. velut leo nimirum rugiens, quærens quem devoret. Sic ad tempus permittuntur impii vexare pios, opprimere, spoliare. Quomodo in circuitu? Sicut juvenes illi dissoluti qui dixerunt: *Nullum sit pratum quod non pertranseat luxuria nostra; ubique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra*, Sap. II. Quomodo in circuitu? Sicut qui choreas ducunt, circumeundo saltant, quales describuntur in lib. Job, cap. XXI. *Tenant tympanum, et citharam, et gaudent ad sonitum organi: ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.*

CONCIO III.

PECCATORES CUR ZIZANIA DICTI.

I. Mali volunt videri boni. — II. In vita florent, in morte sordent. — III. Raro diu vivere permittuntur. IV. Bona terræ ad se trahunt. — V. Conantur etiam bonos pervertere. — VI. Creant bonis dolorem et tristitiam. — VII. Igni adjudicantur velut herbæ inutiles.

THEMA.

Tunc apparuerunt et zizania, Matth. XIII.

Libro IV. Reg. IV. legimus Elisæi discipulum exiisse ad colligendas herbas, et collegisse coloratas seu silvestres cucurbitas, quasi vitem silvestrem, amaras et pestíferas. Quas cum in olla coxissent, exclamarunt in Elisæum: *Mors in olla vir Dei*, quia deprehenderunt esse amarissimas ac proinde mortíferas. Elisæus farinam iniecit ollæ et correxerat herbas, ut fierent salutare. Exierunt etiam in hodierno evangelio servi patrisfamilias ad videndum agrum, et deprehenderunt in eo zizania. Quis zizania comedat?

Mors in olla, mors in olla. Verum, quia bona farina corrigi et bonæ herbæ fieri possunt, non mox eradicanda, sed ad tempus toleranda sunt. Nunc vero ostendamus quam malæ herbæ, quamque vere zizania sint homines mali hujus sæculi.

I. Zizania etsi inutilia et pernicioosa sunt varios tamen eosque non ingratos colores præ se ferunt, ita peccatores licet mali sint, boni tamen videri volunt, ac virtutis speciem præ se ferunt. Tam deforme enim est peccatum, ut nisi palliatum prodire non audeat, quod omnibus horrore sit. Patet in Henrico VIII. Angliæ rege, qui ut iniquissimum legitimæ conjugis repudium suamque libidinem palliaret, primarios regni viros muneribus et dignitatibus oblati corrumpere conatus est, et imprimis Thomam Morum, cujus maximam sciebat esse auctoritatem; deinde academias variis in orbis partibus ad suam sententiam pertrahere, ipsum etiam summum pontificem oblatione quatuor millia equitum ad ejus inclinare defensionem: denique juratus protestari, quod non odio conjugis, sed scrupulo conscientiæ motus eam repudiaret velut illegitimam dispensatione papæ sibi traditam; mendacissimo animo, Sander. in schism. Angl. Quod si colorem vitii peccatores inducere nequeunt, saltem id occultare solent quibus possunt modis, quo modo et zizania multa sub tritico se abscondunt. Id fecisse Davidem in tegendo suo adulterio, Uriam inebriando et remittendo in domum suam, quæ ubi id non successit, exponendo eum gladiis hostium et e medio tollendo, clarum est II. Reg. I. Verum frustra sunt, nec possunt Deum fallere, nec Dei servos, quin deprehendantur, uti expertus est David, misso ad se Nathan propheta dicente: *Tu es ille vir, tu fecisti abscondite, ego autem faciam in oculis solis hujus.* Sic et Henrici adulterium ac libido turpissima cum summa ejus ignominia et infelicitate toti urbi patuit. Herodes quoque Joannem decollavit, ne proclamaret ejus incestum per Judæam; sed inde factum ut postea per totum orbem latius pateret.

Pueris quidem placent zizania florida et variegata, sed agricolis displicent. Similiter peccatores virtutum colore fucati coram mundo in æstimatione sunt, coram Deo vero et servis ejus abominatio sunt. Tales enim Christus ait se non nosse; unde eorum nomina tacet, uti epulonis, Luc. XVI. et divitis illius Luc. XII. cum tamen nominetur Lazarus mendicus. Statuam illam Beli æream et inauratam reputabant Balthasar rex et Babylonii Deum esse viventem, bibentem et comedentem, maximaque in veneratione ha-

bebant. Sed omnibus sapientior Daniel eum despexit dicens: *Ne erres rex: iste enim intrinsecus luteus est et forinsecus æreus*: ideoque a Daniele eversus, Dan. XIV. Omnes aulici regis Assueri Amanem flexo genu venerati sunt, solus pius Mardocheus omnibus oculatior superbissimum non honoravit hominem, quem Deo mortuum norat, Esther IV. Et merito, cum tales præter externum splendorem et favorem humanum nihil prorsus habeant, sintque merissima zizania.

II. Zizania etsi tritico sæpe similia sunt in herba, uti lolium, dum in agro sunt: ad extremum tamen in molendino dissimillima deprehenduntur: nigram enim farinam dant, cum triticum det albam. Pari modo reprobi licet hic a probis difficile dignoscantur, licet splendeant et dominantur, atque in summo honore sint, ad extremum tamen in mortem ignominiosam aut saltem obscuram et ignobilem desinunt. Propterea Sapiens, Proverb. X. ait: *Nomen impiorum putrescet*. Ibidem comparat eos nubibus tonantibus et fulgurantibus: *Quasi tempestas transiens non impius*, inquit. Nubes enim in tempestate suis hombis et coruscationibus nemini non terrorem injiciunt. Verum paulo post resolvuntur in pluviam, decidunt ac quiescunt, nec superest ex illis nisi lutum ac sordes: sic filii hujus sæculi dum vivunt, honorum, opum, pompæ strepitu reboant et omnes in admirationem ac terrorem rapiunt. Cæterum mortuis ac sepultis illis, omnis illorum fastus et memoria sepelitur, nec superest nisi ignominia, derisio, imprecatio, oblivio. Ita inter plurimos Antiochus ille Epiphanes Judæorum hostis, qui videbatur sibi fluctibus maris imperare, et montium altitudines in statera appendere, eratque terror plebis e curru excussus in terram prostratus ac collisus cœpit vermibus scaterere, ac factore suo totum exercitum gravare: *Et qui paulo antea sidera cœli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat præ intolerantia factoris portare*, II. Macchab. IX. Hic exitus et hic odor illius, quem ob summam unguentorum affluentiam vocabat quidem beatum, apud Athenæum. Unde bene de eo prædixit Mathathias, I. Macchab. II. *A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus stercus et vermis est*. Sic omnes principes hujus sæculi impii in tenebras ierunt, ac per orbem undique traducuntur aut certe nesciuntur. Sic qui vivunt in splendore sepeliuntur sine honore.

III. Zizania licet in tritico crescant, non tam alte tamen, sicut triticum excrescunt. Ita etiam impii vitam suam ordinariè non producunt ad metam piorum, sed citius hinc auferuntur immatura morte, seu propter eorum intemperantiam,

seu ob temeritatem, qua se in mortis pericula, pugnando, equitando, venando, alios prosequendo conjiciunt, seu quia ob demerita Deus cita eos morte punit, et excidit velut steriles ac perniciosas arbores, terram frustra occupantes, aut etiam prementes. Ita testatur Sapiens, loco paulo ante citato dicens: *Anni impiorum breviabuntur*. Propter causam primam quidem breviantur, quia propter crapulam multi perierunt, Ecclesiast. XXXVII. Ob secundam, quia qui amat periculum peribit in illo, Ecclesiast. III. Propter tertiam, quia scimus ficum sterilem post triennium excidi jussam: et de servo illo malo dici Matth. XXIV. *Si dixerit servus ille malus, moram facit dominus meus venire et ceperit percutere conservos suos, manducet autem et bibat cum ebriosis, veniet dominus in die, in qua non sperat, et hora qua ignorat et dividet eum*, (id est, dissociabit) et ponet partem ejus cum hypocritis, Matt. XXIV. Ob quartam causam ait Job, cap. XXIV. de illis: *Elevati sunt ad modicum et non subsistent: et sicut summitates spicarum conterentur*. Nimirum sicut Tarquinius superbus consuluit filio, ut tolleretur suprema Gabinorum capita (in horto decapitans summa papaverà) quæ subditos post se trahebant, exemplo aut consilio vel jussu, teste Livio: sic cum impiorum capitibus procedit fere Deus. Ac licet interdum contingat, ut longævam vitam ducant, ea tamen respectu mortis æternæ, quæ eos expectat, brevissima et momentanea est. Unde inferi illi Sap. V. aiunt dies suos prætervolasse sicut avem, navem, cursorem, sagittam, seque natos continuo desiisse esse.

IV. Zizania trahunt ad se succum terræ, eumque tritico auferunt, non secus ac fuci mel furantur apibus. Ita etiam reprobi honores, dignitates, proventus, beneficia pingua, fundos meliores ad suos trahunt usus non sine aliorum sæpe injuria. Ratio est, quia pleni sunt amore proprio vacui charitate proximi. Patet hoc inter alios exemplo Neronis; qui teste Martiali totam Romam computis suis cupiditatibus servire, tantumque spatium urbi ad palatium sibi struendum abripuit, ut vulgo diceretur:

Roma domus fiet, Veios migrate coloni:
Si non et Veios occupet ista domus.

Patet in Achab rege Samariæ, qui vineam Naboth palatio suo adherentem violenter ad se rapuit, et cum ipsi negata fuisset, in mororem incidit, III. Reg. XXI. Patet denique quotidiana experientia: omnia enim commoda, meliora prædia, pinguiorres præbendas rapiunt ad se filii hujus sæculi, abstrahunt justis longe dignioribus. Quæ sane

maxima est iniquitas, ita ut David talem divitem, qui suis gregibus parcens, pauperi unam oviculam rapuisse dicebatur, *filium mortis* pronuntiavit, II. Reg. XII. Et minatur Deus talibus damnationem, Isa. IV. *Væ qui conjungitis domum ad domum et agrum agro copulatis usque ad terminum loci: numquid habitatis vos soli in medio terræ?*

Permittit vero hoc Deus, quia mali aliam in altera vita mercedem non habent. Unde dicunt Sap. II. *Nullum sit pratium, quod non pertranseat luxuria nostra, etc. quoniam hæc est pars nostra et hæc est sors*. Permittit, inquam, illis prata omnia et aliena sæpe depascere, quia pergunt ad macellum damnationis; quomodo oves ad macellum destinatæ, prius ad pinguiam prata ducuntur, juxta id Osæ IV. *Pascet eos Dominus, quasi agnum in latitudine*, hoc est, permittit Israellem quasi agnos in spatiosis et uberrimis campis deliciis affluere, ut fiant præda Assyriorum: sic etiam filios hujus sæculi, futuros prædam dæmonis et victimam inferni.

V. Zizania multa tritico se implectunt ac circumvolvunt, idque in terram deprimunt nec asurgere patiuntur. Sic reprobi conantur etiam probos pervertere, et a bono vitæ proposito ad terram et perditionem suam pertrahere, invidentque eis gloriam, quam ipsis ex virtute accedere vident. Sic Ismael adhuc puer conatus est fratrem Isaac juniorem avertere ludo, h. e. ut volunt Lyranus et quidem alii, faciendis imaginibus idolorum: secundum alios, vexavit, et irrisit et persecutus est. Esau cogitavit interficere Jacobum, Josepho videbantur fratres, quod a parente plus quam ipsi amaretur, et quod videretur ipsis dominaturus aliquando, unde aiunt: *Numquid rex noster eris, aut serviemus tibi?* Ideo eum vendiderunt. Ægyptii depresserunt Hebræos, videntes eos crescere nimis ac prosperari. Judæi videntes per apostolorum prædicationem converti ad Christum principes ac populus gentiles, missis legatis ad synagogas et principes externos, avertere eos conati sunt a Christi fide, ut testatur S. Justinus, in dial. cum Thryphone. Apostata Julianus nihil non excogitavit ut Christianos a fide ad gentilismum exemplo suo traheret. Hinc sacra gentilium accommodavit ad ritus Christianorum, fecit labarum cum imaginibus falsorum deorum ad similitudinem labari christiani a Constantino M. erecti. Ambrosium virgo Ariana de sede sua episcopali detrahere conata est, ut verberibus mulctandum furiosus exhiberet, in ejus vita. Denique, prior sæculo impius ille Henricus VIII. de quo supra, etiam ad schisma et hæresim delapsus, non solum subditos suos pervertit secum, sed et Thomam Cantuariens. epis-

copum et martyrem jam a quatuorcentis annis declaratum sanctum, de cœlo detrahere conatus est, dum in jus vocavit et causam dicere præcepit, necnon perduellionis condemnatum inter divos amplius censi vetuit: imo capitale esse jussit, si quis eum vel invocaret, vel diem ejus festum celebraret, Florimund. lib. VI. originis hæc. cap. IV. Sanderus in schism. Angl. Didicerunt illa hæc a patre et seminatore suo Satana, inimico hominis, cujus semen sunt, siquidem et ipse cœlum nobis invidet, et quibus potest modis surripere molitur.

VI. Zizania panibus admixta capiti dolorem, oculis caliginem adferunt, inquit Levinus Lemnius, in similitud. parab. bibl. cap. XLVI. Non aliter perversi homines creant bonis et Deum amantibus dolorem et tristitiam. Primo, quia boni, præsertim parentes et propinqui contristantur, dum vident malos tendere ad perditionem et innocentes ab ipsis affligi. Secundo, quia sæpe ipsorum exemplo boni pervertuntur et offenduntur. Tertio, quia propter paucos impios sæpe etiam innocentes puniuntur, tametsi in temporalibus solum.

Oculos etiam offendunt, hoc est, Ecclesiæ prælatos, quorum filios quasi in utero eorum collidunt et conturbant. Caput etiam affligunt, magistratum, inquam, cujus regimen harmonicum destruunt, curis etiam ac molestiis onerant. Quemadmodum enim unicus hireus in ovium grege plus fatigat pastorem, quam totus ovium grex: ita unum zizanium, unus perversus et inquietus homo plus curæ et laboris creat magistrato, quam tota civitas. Hinc inviti et eum lacrymis sæpe coguntur eos plectere et supplicio afficere: hinc parentes optant nunquam genuisse filios, et maledicunt illis; quemadmodum Augustus imp. nulla re infelicior se dicitabat, quam quod haberet liberos tam degeneres ac depravatos; hocque uno se infelicem dicebat, quod tales genuisset, quos et vomicas ac carcinomata appellabat, et ob flagitia in exilium relegavit, vetuitque inferri in sepulcrum paternum, Suet. Quos dolores non creantur David filii perversi, Ammon et Absalon?

VII. Denique, zizania velut herbæ inutiles igni adjudicantur. Sic etiam mors peccatorum pessima ab igni inferni tandem excipitur. Quæ enim non solum inutilia sed etiam pernicioosa sunt, ignibus traduntur, ut omnino tollantur. Senserunt infernalem hunc ignem aliqua zizania etiam in vita, necdum prorsus evulsa, uti Constantinus Copronymus iconomachus et Ecclesiæ vastator, qui moriens dicebat: *Vivens adhuc igni inextinguibili sum traditus*. Ejus quoque cadaver ab

Irene, ejus nuru, refossum et concrematum fuit, Cuspinian. Similiter funesta morte ea hac vita abreptus est Nantinus comes Engolismensis, inquit S. Greg. Turonens. lib. V. Franc. hist. cap. XXXVI. « Qui cum in sancta loca Deique ministros multa mala patrasset, a morbo corripitur: in quo nimia exutus febre clamavit, dicens: Heu ab Heracleo antistite exuror, ab illo ad iudicium vocor! Cognosco facinus, reminiscor injuste injurias me intulisse pontifici: mortem deprecor, ne diutius crucier hoc tormento. Hæc cum maxima in febre clamaret, deficiente robore corporis infelicem animam fudit, indubia relinquens vestigia, hoc ita ad ultionem beati viri venisse: nam exanimus corpus ita nigredinem duxit, ut putares eum prunis superpositum fuisse combustum. » Similiter Theodoricus Gothus rex Roman. ob necatos Joannem pp. et Symmachum territus capite piscis in mensam allati, quasi id esset caput Symmachi ad se devorandum eos aperiens: inde mox decubuit et clamare non desiit se a Symmacho torqueri. Qui et moriens visus est eremite in ollam bullientem projici in insula Liparitana.

Vidimus igitur quinam et quales sint filii hujus sæculi, zizania nimirum, h. e. adeo deformes, ut se fucare debebant; homines in confusionem et ignominiam desinentes, homines longiore vita indigni, homines rapaces, insidiatores, omnibus molesti atque onerosi, ignis æterni rei.

CONCIO IV.

QUENAM ZIZANIA POTISSIMUM E COMMUNITATE
EXTIRPANDA.

Juxta mentem Christi zizania vocantur et e communitate extirpandi sunt: I. Usurarii et monopolæ. — II. Seditiosi et turbatores pacis. — III. Magicarum artium studiosi. — IV. Scandalosi. — V. Scorta et meretriculæ. — VI. Blasphemi. — VII. Hæretici si turbulenti sint. — VIII. Otiosi.

THEMA.

Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum. Matth. XIII.

Scimus, auditores, primis nostris parentibus nihil profuisse conatum suum, quo jam rei transgressionis inter densas paradisi arbores abscondere se moliti sunt. Mox enim a Deo deprehensi et in lucem protracti, e paradiso ejecti sunt, Gen. III. Seductos illos parentes sequuntur parvi aliqui filii, qui cum graviter deliquerint, conantur se abscondere sub hodierno evangelio,

ubi Christus prohibet colligere ex tritico zizania et eradicare. Sed frustra laborant. Non enim vetat Christus magistratui et patribus familias eliminare filios nequam, qui aliis nocent; sed loquitur de sua gubernatione, quia velut supremus legislator non vult statim eliminare omnes tales, sed permittit agere usque ad tempus, quod constituit: ut vel emendantur, vel justius condemnentur. Deinde, non vetat eradicare zizania, nisi cum periculum est, ne simul eradicetur et triticum seu boni; cum scilicet non dignoscuntur. Denique, non vult ut omnes prorsus eliminentur, quod nunquam fiet. Alibi proinde manifeste præcipit, ut malefici permittantur vivere, Exod. XXII. Debent igitur zizania eradicari et foras projici a magistratibus, cum noscuntur. Qui vero juxta mentem Christi talia zizania sint, videamus.

Juxta mentem Christi in parabola hodierna illi dumtaxat zizania vocantur, qui publice et insigniter mali sunt, in perniciem aliorum, qualia sunt zizania tritico: ideoque in explicatione parabolæ vocat eos Christus filios nequam, Græc. filios diaboli. Tales autem sunt.

I. Qui in bonis fortunæ nocent reip. ut usurarii et monopolæ. Hi enim bona communia trahunt ad se solos, ita ut si possent, omnes exurgerent, quo ipsi soli omnia possiderent. Gravis est hic morbus in rep. non secus ac in homine, quando unum membrum totum fere alimentum ad se trahit, unde alia membra necessario alimento destituuntur; ut cum unus pes male affectus intumescit nimis, alter destitutus necessario sibi pabulo consequenter arescit. Sunt ergo civitati, quod sunt zizania tritico: quod tubera corpori: quod lucii aliis piscibus in vivario: quod vermis pomo, qui clam et sine sensu tandem totum erodit. S. Ambrosius pauperum sepulcra eos appellat, quia ut sepulcrum cadavera devorat ac consumit, ita illi egenos. Sed audiant isti quid per Amos dicat Deus, c. VIII. Audite hoc qui conteritis pauperem, et deficere facitis egenos terræ, dicentes: Quando transibit mensis et venundabimus merces: et sabbatum, et aperiemus frumentum: et imminuamus mensuram et augeamus solum; et supponamus stateras dolosas, ut possideamus in argento egenos et pauperes pro calceamentis: (h. e. artibus et fraudibus redigamus eos ad inopiam, ut fiant mancipia nostra et serviant nobis quasi jumenta, et quidem pro minimo pretio, v. g. pari calceamentorum) et qui siliquis frumenti vendamus? (pro puro scilicet frumento.) Sed quid ab ista Deus? Sequitur: Juravit Dominus in superbiam Jacob: si oblitus fuero usque ad finem omnia opera eorum! Numquid super isto non com-

movebitur terra, et tugebit omnis habitator ejus? Et ascendet quasi fluvius universus, et ejicietur et defluet quasi rivus Ægypti? Quod sic declarat paraphrastes Chald. « Irruet in eam rex (Assyriorum) cum exercitu suo maximo, sicut aquæ fluvii, et eluet eam omnem, expelletque habitatores ejus, ut fluvius Ægypti, » q. d. mittam illis prædonibus alios prædones, qui et ipsos expilent. « Sunt pisces, (ait S. Ambrosius, lib. V. hexam. cap. V. qui invicem se devorent: minor apud illos esca majoris est: rursus ipse major a validiore invaditur, et fit escas alterius prædator alieni. Itaque in signum facti sunt; ut in his nostrorum morum vitia videremus et exempla caveremus, ne quis potentior inferiorem invaderet. » Et paulo post: « Quia interest inter divitem absorbentem infirmorum patrimonia, et silurum, minorum piscium alvum replentem? » Quare sicut siluri, lucii et similes piscium heluones, quam primum possunt, præ aliis capiuntur a piscatoribus, perpetuo eis insidiantibus: ita multo magis pauperum prædones exterminari e communitate debent a magistratibus.

II. Qui pacem turbant, homines seditiosi. De quibus intelligo, quod apostolus, ad Galat. V. ait: Utinam et abscondantur qui vos conturbant. Beatus Petrus Damiani, lib. VI. epistolar. epist. I. ad monachos Cassinates scribit fuisse fabrum in regione, quæ Pilonicum dicitur, qui non rebus utensilibus ad pacem, sed armis tantum, ut gladiis et lanceis ad pugnas et cædes cudendis delectabatur: ita ut non pauci per ejus gladios in certamina corruerint. Hinc cum aliquando non graviter sauciatus in pectore cecidisset in aliena domo, quia procul a propriis erat, receptus decubuit, et curatus convaluit. Sed en dum misso ab uxore vehiculo, ut domum rediret, lætus e lectulo surgit, totum brachium in lecto quasi resectum, absque sensu tamen, relinquit a corpore avulsum. Justo utique Dei iudicio, ut repente brachium perderet, quo repentinae mortis tela ministra fecerat. Sic resecatur membrum affectum, ne alia membra inficiat. Quare merito apostolus dixit: Utinam abscondantur qui vos conturbant, ad Galat. V. Quod si is, qui instrumenta solum discordiarum fecerat, ita punitus est, quanto magis pœna dignus, qui seditio num ac discordiarum auctor est. Anno 1290. fuit nobilis Venetus Bajamontius Teupolus, qui contra magistratum seditio nem excitavit, et dum contra adversantes pugnat in platea Merceria dicta, muliercula in vicina æde, de superiore contignatione fenestram aperit, tumultum spectatura, et aperiendo dejecit casu vas terra impletum in quo erant cariophylla ante fenestram positum.

Cadit id in caput illius Teupoli eumque occidit. In ejus rei memoriam solebat in die Sancti Viti vexillum ex æde suspendi, in quo depictus est hic casus. Refert Petrus Justinianus in historia Veneta, lib. Rosset. et alii. Numquid casu factum dicemus, quod seditiosus ille tali modo enectus est? Minime gentium, nihil enim casu fit respectu Dei: Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit? ait Amos, cap. III. Nimirum qui direxit fragmen molæ, e turri a muliere dejectum in caput sanguinari illius Abimelech, ut mulieris manu ignominiose caderet, Jud. IX. idem direxit vas illud testium in caput Teupoli casu quidem a muliere dejectum, sed ex Dei consilio in turbatorem pacis delatum.

III. Qui contra fidem christianam magicas artes exercent. Hi enim non sibi tantum, sed et aliis pestem affricant, quibus serviunt. Fluxa quidem bona nobis dare aut servare volent, sed animæ salutem interim rapiunt. Ita legimus, in vita SS. Joannis et Pauli (apud Surium, 26. junii) dæmones custodisse domos et bona Gallicani, viri christiani, et invasores bonorum ejus obsedis, ab eis tamen exire noluisse, nisi Gallicanus egeretur sacrificari diis. Ecce Gallicano domos et proventus custodiunt, interim ei Christum rapere satagunt. Quare Innocentius papa cum obsessa ab Alarico Roma magi quidam ab ethnicis Tuscia evocati promitterent se præstigiis suis urbem ab obsidione liberaturum, urbe eos expelli jussit, dicens præstare urbem ab hoste capi, quam magicis artibus servari: sicut se Larinam oppidum eripuisse gloriabantur, Sozom. lib. IX. cap. VII. et Zozimus, lib. V. Hinc tamen serio præcipit Deus, Levit. XIX. Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini. Et capite sequenti minatur talibus mortem: Anima quæ declinaverit ad magos et ariolos fornicata fuerit (adhærendo eis eorumque magistro dæmoni, velut adultera, me sponso ejus derelicto) cum eis, ponam faciem meam contra eam, et interficiam illam de medio populi sui. Id enim scelus quoddam adulterii est: quo fidelis anima, Deo repudiato, dæmoni se prostituit: scelus, inquam, adeo ex natura sua detestandum, ut nulla bona intentione coonestari aut excusari possit. Refert Cæsarius, lib. XII. historiarum et miraculorum, cap. XXVII. exemplum de muliere, quæ ut maritum ab adulteriis averteret et sibi conciliaret, magica arte usa fuit, ideoque in tormentis visa maximis a s. moniali: unde tamen, quia ex ignorantia id fecerat, redimi posset.

IV. Qui publica scandala præbent. Hos enim ad litteram et primario appellat Christus zizania, in hodiernæ parabolæ explicatione, cum